

I. *An Epistle writ by Josephus de Aromatariis, concerning the Seeds of Plants, and Generation of Animals.*

S I R,

Lately meeting with an Epistle written by *Josephus de Aromatariis*, containing several Observables touching the *Generation of Plants and Animals*, which I expected not to have found so early in the World, I thought it not amiss if it were inserted in these Tracts, in regard, though already Printed, yet it is a great while since, and the Book scarce. It was Publish'd amongst some few other Treatises of the same Author at *Frankfort*, and Dedicated to the Lady *Alethea*, Countess of *Arundel and Surrey*, in the Year 1625. The Epistle follows:

Epistola de Generatione Plantarum ex seminibus. Præstantissimo Oratori, Bartholomæo Nanti Philos. & J. V. D. Josephus de Aromatariis Favorini F. S. P. D.

Eruditissime *Nanti*, Libros de Generatione, quos multis abhinc annis moliebar, non conscripsi, nimium distractus obfluentem numerum ægrotantium Nobilium, curæ meæ commissorum; & ob nimiam corpusculi mei imbecillitatem, quæ longas Vigiliis & Labores renuit. Adnotabo nihilominus brevissimè per capita quædam potiora attinentia ad Plantarum semina; ut nisi satisfaciam, paream saltem tibi, & erunt ea ipsissima, quæ sæpius ore alias explicavi. Addam & ea duo, quæ de Ovis quæsisisti. Poterunt forsân quæ narrabo, nimium prorsus nova videri multis, & ab humano conceptu aliena nimium: Verum non quidem tibi, qui non solum aliàs benignè audivisti; sed optimè nosti, hominum ingenia rebus accommodanda esse, non quidem contra; & antiquissima extare quæcunque semper eodem prorsus modo Natura præstitit, cognoverintnè homines vel non. Conscribam aliàs jam conceptos de Generatione Libros, in quibus multa forsitan ultra communem opinionem enarrabo, non discrepantia (ut credo) à rei Natura. Nec forsitan longum valde Tempus ab hac Epistola distabunt. Hoc interim sat erit hæc pauca signare: *Plantarum vocata semina non esse semina: Et non habere vim, actu*

(15)

(ut dicunt) vel potentia generandi Plantam. Sed cum possint hæc obscura nimium existimari multis, aperiam rem clariùs.

1. Plantæ determinatis temporibus prolificum semen generant; animalium seminibus proportione respondens; ex Materia quadam spiritibus commixtâ.

2. Illud autem excernunt in vocatis seminibus; veluti in parvis uteris, vel (si cum Empedocle loquaris) in ovis arborum.

3. In locis spiritus inclusus subditam Materiam fortius aggreditur, & novo semper affluente spiritu vivifico domat adeo, ut ex ejus potiori parte parvissimam Plantam revera generet, determinatis organis distinctam & conformatam, & verâ vivificet Plantali Vitâ: Reliquam vero partem relegit in alimentum assumendum ab ipsa Effigiata & formata Planta, &c.

4. Parva quæ gignitur Planta in cognominatis seminibus, vel gignitur qua parte Pediculus adhæret: vel prorsus contra: vel alio quodam modo.

5. Quæ gignitur qua parte pediculus adhæret, exporrigit ad Pediculum Radices, folia autem ad Apicem.

6. Quæ vero gignitur in Apice, folia extendit pediculum versus; radices autem ad Apicem.

7. Nec de sunt alii modi.

8. Parva hæc Planta, ex quo die gignitur, vivit, nutritur, augetur: Et determinato tempore decrescit, non aliter ac animal senectute laborans: Ac tandem moritur, nisi determinato loco & tempore seratur.

9. Plurima harum Plantarum, quousque extant in vocatis seminibus latentes, nutriuntur per adnatas quasdam (ut ita dicam) umbilicales vias.

10. Unde Plantarum vocata semina, quæcumque jam genitam & conformatam Plantam obtinent, sunt fecunda.

11. Quæ vero non habent, infœcunda prorsus extant: Nec ullo amplius remedio fecundari possunt, si deciderint à Planta.

12. A vocatis igitur seminibus debito loco satis, nascitur Planta, non gignitur.

13. Generatio fit ope vocatæ concoctionis.

14. Ortus fit cum recrudatione Plantæ & concoctione assumpti nutrimenti.

15. Pro Plantarum ortu, vocata semina lac generant, ut ita dicam; ex ea parte quæ ad nutriendum destinata fuerat, & congeneo attracto humore: ad faciliorem inde nutritionem & auctiorem.

16. *Orta Planta non amplius à vocato semine recipit præparatum alimentum, nisi parum: sed à terra aliove proportionato loco.*

17. *Nec amplius per adnatas vias, nisi ut diximus parum: sed per radicem sugit; non aliter ac animal, quod primo per Umbilicales Venas creditur nutrimentum capere, exortum vero per Os assumit.*

Hæc sunt pauca veluti semina dicendorum in *Lib. de Generatione*, quatenus ad Plantas ex feminibus ortas attinet. Ex quibus facillime colligitur (si vera sunt ut credimus) quam vanæ agitentur quæstiones quotidie dum quæritur. *Quomodo vocata semina ab arbore alijsve Plantis jam excerpta, debito loco sata novam Plantam generent. Anque adsit in ipsis forma Plantæ necne?* Afferentibus nonnullis formam ibi esse in potentia tantum: nonnullis vero affirmantibus, non adhuc extante organizatione, vere adesse formam, ut dicunt, actu; quæ tibi ipsi domicilium parat. Non aliter ac si forma Plantarum esset quid verè separatum, ut dicunt, existentia, utens materia tanquam lignis ad navem fabricandam; esseque forma existens realiter, rei tamen non formatae; magis quam Nauta non Navigii Nauta. Nec non aliæ inextricabiles petitiones, excitatæ ad humanum ingenium labefactandum, & è recta Philosophandi via deturbandum. Quod autem attinet ad *Ova Gallinarum*; existimamus equidem, *Pullum in Ovo delineatum esse, antequam forveatur à Gallina. Et credimus augeri à calido materno, non solum tanquam à forvente, verum partim etiam tanquam à materia nutriente; quod & aliis quibusdam animantibus ab aëre commune contingere putamus; veluti in lib. de generatione animalium Deo dante enarrabimus.* Vale, meque ut soles ama.
